15

DISSERTATIO INAUGURALIS, DE Asthmate Infantum Suffocativo.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S.S.T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

AMBROSIUS COOKSON,

ANGLUS,

Societatis Regalis Medicinae Edinensis Socius Extraordinarius;

NEC NON

Societatis Physicae Socius Honorarius.

Nobis enim nostra academia magnam licentiam dat, ut, quodcunque maxime probabile occurrat, id nostro jure defendere liceat.

CIC. DE OFFIC. lib. 3.

Ad diem 12. Septembris, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,LXXX.

Mr. Peers

from his very humble Servt

A. Cookson

Spectatiſſimo ornatiſſimoque viro,

HENRICO KENDALL,

ARMIGERO,

APUD ULVERSTONE

IN LANCASTRIÆ COMITATU,

Neque ut familiae tuae dignitatem, neque ut morum ſuavitatem comitatemque, propter quas omnes te merito colunt, perluſtrem, hanc tibi diſſertationem dico: Sed potius ut, quae nunquam mihi erit facultas rependendi, beneficiorum tuorum haud immemor eſſe videar.

Multis abhinc annis, tibi, vir illuſtris, patre heu! optimo immature orbatum, atque amicitia tua atque conſiliis, me adjuvare placuit. His equidem nullo non tempore fructus ſum. Neque a te ſolo, ſed a tuis etiam, multa benefacta, nec recenſenda, in me collata fuerunt: Quorum et decet, et delectat, nulla die peritura, grata recordatio.

Exorandus es, vir optime, quod non ut merentur, has meas primitias tuo nomini ſacras, ſed ut vellem, accipias—nempe ut parvulum magni honoris pignus, quo te tuoſque proſequor— Domui tuae ſalus, omniaque pulcherrima ſemper eveniant.— Vale, et inter innumeros tibi devinctiſſimos habe

Devotiſſimum

AMBROSIUM COOKSON.

DISSERTATIO

INAUGURALIS,

DE

Aſthmate Infantum Suffocativo.

PROOEMIUM.

INFANTES plurimis gravibuſque morbis, qui aetate provectiori nunquam ſeſe oſtendunt, laborare, omnes ultro agnoſcunt. Vix ex utero excluſi quin affectionibus morbidis ac periculoſis obnoxii ſint. Corpora eorum tenera, ac ſenſilitate exquiſitiore praedita, irritationes maxime leves percipiunt; variaſque in commotiones,

ones, ex cauſis, facile conjiciuntur, quae magis provecta aetate vel parum vel nihil incommodi afferunt. Tenerae tantum aetatis, de quo hic agitur, morbus eſt. Rarius quidem accidit, ſed, ubi invadit, magnam cladem edit. Medicum igitur tentamen ſcripturo, ut jubent hujus academiae leges, antequam honores ſuos in petentem conferat, pauca de hoc malo dicere placet.

Inter antiquos omnino ignotus fuiſſe videtur hic morbus; nec inter recentiores quidem, niſi nuperrime, deſcriptus fuit. Hinc noſtro aevo peculiaris eſſe, nec inepte, creditur. Hiſtoriam ejus primus, neque male, tradidit celeberrimus Ruſſel *. Et quae, in epiſtola ad Doctorem Rutty, tam accurate narravit ſymptomata clarus Molloy †, ad hunc morbum plane referenda ſunt. Multa etiam de eodem a viro illuſtri Bergen conſcripta, in Nov. act. nat. curioſ. 1758, invenienda.

In

* Oeconom. natur. p. 70.

† Rutty's Chronology, p. 110.

In errorem autem hi, ut quidam alii auctores, plane abierunt, in eo quod morbum hunc inter et anginam malignam discrimen haud recte posuerunt. Rei adeo leviter tractatae, et hactenus quidem adeo obscurae, lucem affundere nostro Homio datum erat *. Opiniones suas de hoc morbo, multi ab eo tempore publice ediderunt, de quibus non jam dicendum est.

Attamen, priusquam ad morbi historiam progrediamur, haud alienum fore judicamus, observationes quasdam in medium proferre, litteris mihi nuperrime traditas ex amico meo optimo, olim in medicina fideli praeceptori, Domino Fell, rem medicam feliciter, ac magna cum sua laude, in Lancastriae comitatu exercente. Observationes quidem istae naturam ejus docent, et affectionem esse novam, in hisce saltem terris, morbum illum ostendunt. Ecce ejus verba :

' After

* Enquiry into the nature, causes, and cure of the croup 1765.

'After diligent ſearch, I have found 'ſome remarks which I had made on the 'croup at its firſt appearance in this place, 'viz. in the year 1760. I ſay, at its firſt 'appearance; becauſe my father, who was 'an accurate obſerver of diſeaſes, and prac- 'tiſed phyſic here for upwards of forty 'years, could not recollect that the diſeaſe 'ever once occurred to him; and none of 'my medical acquaintance in this neigh- 'bourhood had, at that time, the leaſt 'knowledge of it.

'In that ſpring, ſix children labouring 'under this diſeaſe, all betwixt the ages 'of one and five, were committed to my 'care—To all of whom it proved fatal. 'Catarrhal complaints were then very fre- 'quent; and, indeed, in moſt of them, the 'diſeaſe commenced with ſymptoms of 'catarrh, which continued ſome days 'without any danger being apprehended, 'when a difficulty of breathing came on; 'after which they died in a day or two.

'Sometimes

'Sometimes the diſeaſe was uſhered in by 'this violent dyſpnoea, and the patient 'was threatened with inſtant ſuffocation. 'At every inſpiration was heard that pe-'culiar harſh ſound which attends violent 'fits of coughing in pertuſſis. There was 'a hoarſe hollow cough, a frequent pulſe, 'and great reſtleſſneſs. Sometimes a quan-'tity of fetid purulent matter was cough-'ed up, which greatly relieved the breath-'ing. No pain was complained of, or 'difficulty in deglutition. The ſymptoms 'were always aggravated towards night, 'eſpecially the dyſpnoea.

'Since the above period, twelve patients, 'affected in a ſimilar manner, have been 'put under my care; of which only three 'died. Perhaps this may, in a great mea-'ſure, be attributed to the alarm which ſo 'fatal a diſeaſe could not fail to excite: 'Hence its diſtinguiſhing marks were in-'quired into, and medical aſſiſtance called 'in at its firſt appearance. Two of my

'patients have laboured under this diſeaſe
'three different times: Several have had it
'twice. But I do not remember ever ſee-
'ing two patients in the diſorder, in the
'ſame houſe, and at the ſame time; ſo
'that it does not appear to be contagious.'

Hactenus meus amicus ingenioſus, cujus accurationi in obſervando et fidei in deſcribendo, qui virum ſcit, nemo non innititur. Dicendum eſt nunc

DE HISTORIA MORBI.

Oras maritimas, regioneſque paludibus vicinas, morbum noſtrum maxime infeſtare, omnes inter medicos convenit. Ætas illi magis obnoxia primum inter annum nonumque jacet: Et, ſecundum auctores, deſunt exempla ubi aliquis poſt annum duodecimum eo correptus erat. Talis autem exempli, hyeme jam praeterita, nos certiores

tiores fecit Ill. Cullenus. Namque, in praelectionibus ſuis, ſe nuper puellam tractaſſe, hoc morbo laborantem, annos quatuordecim natam, monebat.

Nullo certo modo, ſed varie in variis exemplis, ingreditur hic morbus. Nonnunquam dum in ludis ſeſe oblectant pueri, reſpirandi difficultate ac ſenſu ſtrangulationis quam ſubito corripiuntur. Frequentius autem media nocte incipit morbus, magnoque cum pavore horroreque infans expergiſcitur. Sanguinis in facie ſuffuſio plerumque adnotatur. Reſpiratio perdifficilis ac ſonora, motu diaphragmatis convulſivo eſt comitata. Hiſce plerumque liberat aegrum aut ſternutatio, aut vomitus, aut tuſſis. Ubi haec non accedunt, augetur ſuffocationis periculum, et mors ipſa aliquando ſequitur.

Alias minus ſubito adoritur, neque pede tam preſſo procedit. Puellus, olim hilaris ac laetus, jam triſtis fit ac piger. Calor augetur, languor ac laſſitudo ſuperveniunt.

Tuſſis,

Tuſſis, primo mitis, poſtea rauca et clangoſa, reſpiratio difficilis. Dolorem tracheae obtuſum aliquando queritur aeger, et tumor vix videndus tactu nonnunquam percipitur. Urina nec adeo copioſe, nec ut olim facile ſecernitur, initio limpida, poſtea turbida. Alvus fere ſemper aſtricta, inteſtina plerumque inflata; cutis arida; pulſus parvus, celeris, ac debilis.

Ut in acceſſionis modo, ſic etiam in progreſſu, diverſitas haud parva notatur. Remiſſiones interdum ſpontaneas, vel intermiſſiones non regulares habet; nec raro per paroxyſmos aggreditur. Mucus ſincerus, vel pure miſtus, praecipue poſt tuſſim, ſaepe exſcreatur. Ejicit nonnunquam aeger membranae fruſta cujuſdam, aſperam arteriam obtegentis. Amota hac membrana, vel muco libere ejecto, miteſcunt ſymptomata; ſin aliter accidat, ingraveſcunt. Citatior devenit reſpiratio, magis difficilis etiam et ſtrepentior, cantus galli ſimillima. Vox autem illa inſignis, fere inſpirante

rante tenello, alias vero dum ſternutat, tuſſit, vel vociferat, aures ſolummodo ferit. Pulſus jam intermittere notatur, ictuſque ejus vel percipere vel enumerare vix in medico eſt. Inquietudinis magnae et anxietatis ſigna vultus exhibet. Jugulares venae ſaepe turgeſcunt, et carotidibus pulſatio eſt. Excavantur oculi; labia, lingua, atque gula areſcunt. Sudores gelidi profuſi faciem, pectus, artuſque inundant; tandem, aut morbo gradatim ſuccumbit, aut convulſionibus correptus, miſellus brevi moritur.

Accidit autem interdum fallax ſymptomatum quies. Vident, nec ſine gaudio, adſtantes, infantem ſeſe melius habere, ſperantque illum in ſanitatem rediturum, ſpes quidem ſaepe vana. Exempla enim haud pauca nobis adſunt, ubi, ſubito ingraveſcentibus ſymptomatis, aegrotus animam fere ſtatim efflavit. Sed non ſemper eſt huic morbo lethalis eventus; nonnunquam

e morte tenellus evadit, priſtinamque ſanitatem recuperat.

Ad terminationem quod ſpectat, tertio, quarto, vel quinto die accidit, nempe ubi infauſta. Nonnunquam, rariſſime tamen, in primo impetu jugulat. In ſanitatem, quartum fere vel quintum poſt diem, alias attamen non niſi poſt duas treſve ſeptimanas, aeger puerilis redit. Exemplum ſane praeſto eſt, ubi, poſt diem decimum quintum, in morte terminatio erat.

Quae ſeſe exhibent phaenomena, cadavere aperto, haec ſunt. In faucibus internis nulla adnotatur mutatio, niſi quod ſubrubrae ſunt aliquando, ac praeter morem nitidae. Membrana tenui obductam, tubulari, ſplendideque nitente, oculis ſeſe praebet aſpera arteria. Per totum ſuum curſum, hoc corpus tracheam nonnunquam inveſtit; ſaepius autem ad unum vel duos tantum pollices extenditur. Multi ſunt in quibus tracheae arctiſſime adglutinatur; dum in aliis vix aut ne vix quidem adnectitur.

Varia,

Varia, etiam in variis aegris, ſpiſſitudine gaudet haec membrana. Tenacitate interdum adeo maxima pollet, ut integra penitus et ſine laceratione extrahi poſſit. Aliis minus arcte cohaeret, et vi adhibita facile rumpitur. Pars aſperae arteriae inferior, nempe ubi deſinit illud corpus peregrinum, muco ple umque abundat, ad bronchias uſque pertinente. Bronchiae quoque ipſae earumque veſiculae muco haud raro ſcatent. Pulmo ut plurimum ſeſe exhibet illaeſum, ab inflammatione immunem; neque unum exemplum video, ubi ſigna inflammationis erant.

Unde originem ſuum trahat iſta membrana, parum inter auctores convenit. Docent nonnulli, illam eſſe partem aſperae arteriae ipſius *. Alii partis ſanguinis lymphaticae ad tracheam ſibi ipſis finxerunt tranſlationem, quam coagulari ac in membranam mutari credunt †. Neutram autem

* Wilcke de Angin. Infant. p. 12.

† Michaelis Diſſert. Inaug. p. 27.

tem conjecturam mihi arridere fateor. Datur enim explicatio magis facilis et probabilis, ut videtur, nimirum, mucus, ut antea dictum eſt, difficile exſcreatur, et dum in trachea ille ſtabulat, partes ejus aquoſae per reſpirationem evehuntur: Quod reſtat muci inſpiſſatus, in corpus firmum atque tenax mutatur. Hanc ſententiam confirmat periculum, quod feci, ſequens. Mucus, ſtatim ut ore ejectus fuit, leni igni, ad partium ejus evaporationem aquoſarum, exponebatur; ubi cruſta tenax atque craſſa, membranae jam deſcriptae omnino ſimilis, erat formata.

DIAGNOSIS.

Nequaquam apud nos tam difficilis eſt, aſthma ſuffocativum inter et alios morbos, diagnoſis, ut vult quidam generoſus qui de eo nuper conſcripſit *. Multum laboravit ille

* Theſ. inaug. de angina polypoſa vel membranacea, auctore Fred. Chriſt. Michaelis, Argent. 1778.

ille hunc inter et morbum a Culleno * Millarioque † deſcriptum, diſcrimen facere, me judice quidem minus recte. Cynanche enim trachealis illius, aſthmaque poſterioris acutum, nomine tantum a morbo de quo ſcribimus diſcrepant. Qui hunc maxime aemulantur, hi ſunt, catarrhus, pertuſſis, et angina maligna. Ineunte morbo, fortaſſe non ſemper a catarrho facile diſtinguitur; perſtante autem, ſtridor ille notabilis, ac dyſpnoea valde gravis, in catarrho ignotae, morbum ſatis deſignant. Pertuſſis, ut noſter etiam aliquando morbus, lente tardeque accedit; plerumque autem ſine pyrexia eſt, et paroxyſmis ſuis certis temporibus gaudet. Aſthma ſuffocativum vix ſine pyrexia ingreditur, neque remiſſiones exacerbationeſve fixas aeque ac pertuſſis habet. Praeterea, ſi pertuſſis epidemice graſſetur, et aegrum ea nunquam fuiſſe affectum cognoſcamus, tum haec ſuſpicienda.

* Cullen's Firſt Lines.

† Millar on Aſthma.

Unde cum hoc malo anginam malignam tam ſaepe confuderint auctores, haud ſcio. Namque diagnoſis nequaquam ita difficilis, quin attento animo alteram ab altero facile dignoſcamus. Angina maligna cum faucium dolore ac rubedine aggreditur, devorandi difficultate, nauſea et plerumque vomitu; et, faucibus inſpectis, ulcera ſerpentia deteguntur. Ineunte autem aſthmate ſuffocativo, raro aut nauſea aut vomitus vexat: Dolorem vix queritur aeger, deglutitionem difficilem nunquam, nec in faucibus ulcera percipiuntur. Poſtremo, ſi vox ſtridula, clangoſa, galli cantum aemulans, aures attingat, aſthmate ſuffocativo aegrum puerilem laborare pro certo habeamus.

CAUSA PROXIMA.

Nullius fortaſſe morbi magis in certamine eſt cauſa proxima, quam jam tractati, vel de qua ſententias tam late diverſas

auctores

auctores inierunt. Sic, dum nonnullis, ex membrana ſupra dicta, hujus morbi originem derivare placet; alii, nec pauci, ex inflammatione illum omnino pendere volunt. Alii autem, utramque opinionem pariter rejicientes, ſpaſmum pro cauſa habent.

Ex membrana inſpectione cadaverum detecta hunc morbum pendere, primus docuit clarus Home. Obſervavit ille, corpore aperto, membranam vix unquam deficere. Notavit etiam, eadem tuſſi, vel alio modo ejecta, ſymptomata vel amoveri, vel aegrum minus vexare. Nil mirum eſt igitur, illum tam fortiter contendiſſe, aut alios in ſententiam ejus facile conceſſiſſe, corpus illud peregrinum omnium ſignorum eſſe cauſam. Ratiocinatio autem haec, prima facie adeo veriſimilis, rebus magis ſtricte perſcrutatis, animo nequaquam placet. Multis enim huic morbo ſuccumbentibus membrana omnino nulla fuit. Neque tali corpore ejecto, ſemper convaleſcunt aegri. Praeterea, ſecundum

cundum vel tertium poſt diem tantum, hoc corpus formari, experientia docet; idemque in primo ſtadio omnino abeſſe. Ex hiſce igitur, ni fallor, cruſtam illam tam ſaepe memoratam, effectum eſſe, et minime cauſam, morbi de quo agitur, concludere licet.

Sunt alii, graviſſimae etiam auctoritatis, qui affectionem penitus inflammatoriam eſſe opinantur; in quibus maxime eminet noſter celeberrimus Cullenus. Pace autem tanti viri, quae, ſententiam iſtam minus probabilem ſaltem reddunt, rationes in medium proferre liceat.

Me judice quidem, atque ſuperſtite vita, atque poſt mortem, quae ſeſe exhibent phaenomena, hanc concluſionem vetant. Pulſus eſt parvus ac debilis, et dolorem vix aut ne vix quidem queruntur aegri. Sectio etiam cadaverum oſtendit pulmonem parum vel nihil mutatum. Inflammationem aliquando adeſſe, nullus dubito; ſed, hanc pro cauſa habere ſymptomatum, certe non

non placet. Nec, tali hypotheſi fidens, facile intelligo, quomodo tam repente accedat, in mortem adeo ſubito deſinat, aut tam cito ex toto evaneſcat. Pueri hoc morbo laborantis apud Van Roſenſtein exſtat exemplum, qui, cum jam ita ſeſe haberet, ut ad ludos rediiſſet, ſubito fuit iterum correptus, ac in matris gremio quam breviter animam efflavit. Monuit me etiam vir ille celeberrimus Duncanus, ſe olim tractaſſe puerum hoc malo citiſſime correptum, qui, balneo calido adhibito, ſtatim rediit ſanus ad ſodales: Saepe ſeſe oblectans ſic corripiebatur puer, nec unquam ſine pari eventu in uſum vocabatur balneum calidum. Inflammationem tam ſubito lethalem ut in priore, vel ut in exemplo poſteriori, tam facilem reſolutu, quis fingere poteſt? Ad aliam igitur, et unde melius explicentur phaenomena, decurrendum eſt cauſam.

Ex impetu ejus improviſo, anguſtiae ac ſuffocationis ſenſu, tuſſi, pariter cum abdominis inflatione, urinaeque ſuppreſſione, morbum

morbum noſtrum ex ſpaſmo pendere, pronum eſt credere. Hanc ſententiam ſuffulcire conducunt remiſſiones ejus crebrae ac abnormes, quas exacerbationes aeque notabiles excipiunt. Denique, ex medicamentis maximo cum fructu adhibitis, anodynis nempe large uſitatis, naturam ſpaſmorum participare, ſatis eſt perſpicuum. Qui alteram opinionem tenent, frigidis ſolum in terris, ſpaſmo inimicis, illum graſſari objiciunt; neque remiſſiones aut exacerbationes, ſpaſticis affectionibus familiares, pati. Attamen, quod calidis regionibus non omnino ignotus ſit, teſtis eſt Cl. Chalmers, cui, artem Apollinarem in Carolina Auſtrali exercenti, ſaepe fuit occaſio hunc morbum tractandi. Quod et remiſſiones exacerbationeſque patitur, exempla antea tradita teſtantur; ita docet etiam vir jam memoratus. Puer enim hoc morbo laborans, ejuſque curae commiſſus, hora veſpertina paroxyſmis ſemper correptus fuit: Duas poſt ſeptimanas, ut monet, aeger, ex cortice Peruviano,

Peruviano, ac antiſpaſmodicis per intervalla adhibitis, convaluit. Exemplum huic penitus ſimile unum vel alterum adduxit clarus Ruſh. Et, in opuſculo nuper edito, hunc, cum alio morbo, opiſthotono nempe, alternantem videmus. (Michael. diſſert. inaug. append. p. 208.)

His rite perpenſis, quin ſpaſmus, neque membrana neque inflammatio, ſit in vitio, vix dubitari poteſt.

In duo ſtadia morbum de quo ſermo eſt diſtinguere, quibuſdam auctoribus placet. Homio in inflammatorium ſtadium purulentumque. Attamen, ſi, ut antea probare conati ſumus, inflammatio plerumque abſit, diſtinctio haec vix admittenda. Neque in eo quod ex membrana ſola ſuam concluſionem trahit, magis recta apparet diviſio Michaelis, in completum, nempe, et incompletum. Completum, illud, ubi adeſt membrana, ubi abeſt, incompletum vocat. Sed utrum adſit necne hoc corpus, nequaquam pro cer-

to poteſt conſtare: Diviſio iſta igitur inutilis.

Qui morbi hiſtoriam percurrit, in modo acceſſionis pariter atque in progreſſu, diſcrimen inſigne non notare non poteſt. Aliquando dormientem inopinate, ac ſine cauſa evidenti, aggreditur, mortemque breviter affert. Alias in vigilantibus, praegreſſa quadam alia mutatione, occurrere, lente tardeque progredi notatur. In duos igitur ſtatus, plane diverſos, acutum nempe et chronicum, haud inepte diſtingui poteſt. Duos hoſce ſtatus et habuere et tractavere quidam auctores pro morbis omnino diverſis, ut apud Cl. Chalmers eſt videre. Etenim morbi, quos ſub catarrhi ſuffocativi, ſtridulaeque ſuffocationis nominibus, ille deſcripſit, (ſimilitudinem inter quos talem fuiſſe fatetur, ut diagnoſis vix dari poſſet), plane pro diverſis noſtri morbi ſtatibus ſunt habendi. Itaque diſtinctio noſtra neque inepta neque inutilis fortaſſe.

CAUSÆ

CAUSÆ REMOTÆ.

Teneram aetatem ſolam, duodecimum poſt annum rariſſime, aggredi hunc morbum, antea notatum eſt, res ſenſilitati qua corpora eorum pollent ac mobilitate, certe referenda. Namque, ut Homius noſter dicit, ‘ after this age the body gains a ‘ ſtrength capable of reſiſting the cauſe, ‘ and of expelling it when received *.’ Qui multo ſanguine gaudent, ut videtur, occurſui ejus magis obnoxii. Et hoc, nonnullis ſuadentibus, naturam ejus inflammatoriam probat. Attamen, qui ita loquuntur, limites intra arctiores verbum Plethoram accipere videntur; ponentes nempe, omnes plethoricos ad inflammationem pronos eſſe. Concluſio autem reſpuenda. Sanguinis enim abundantia non ſemper corporis tonum, ſed ſaepius mobilitatem auget;

* Home on the croup, p. 9.

igiturque ad ſpaſmos obnoxium reddit. Hoc teſtantur hyſteria, aliaeque iſtiuſmodi affectiones plethoricis familiares. Plethora itaque hic nocet tantum, quantum ad ſpaſmos diſponit.

Humidis in regionibus, tempeſtate pluvioſa, ac ſaevientibus catarrhis, maxime graſſatur hicce morbus. Ratio non patet; ut omnes quidem auctores ultro fatentur. Neque, cur eos praecipue pueros infeſtat, qui a variolis aut morbillis convaleſcunt, quod omnes docent, magis facile eſt intellectu.

Quaeſtio inter medicos orta fuit, et adhuc ſub judice lis eſt, an morbos inter contagioſos noſter mereatur locum? Ita opinio eſt quibuſdam; plures autem aliter ſentiunt; et hanc, ut probabiliorem, ſequi meipſum fateor. Multa enim exempla hujus morbi mihi vidiſſe contigit; nulla tamen ubi data erat ſuſpicio contagionem in cauſa fuiſſe. Sic opinatur chirurgus ille peritiſſimus antea memoratus: Dicit enim, ſe nunquam

nunquam in eadem aede vidiſſe duos uno atque eodem tempore hoc malo laborantes. Contagium igitur eſſe in vitio parum probabile, et, ni fallor, omnino reſpuenda talis opinio.

An cum aëris ſtatu ullam connexionem habet? Credit Cl. Homius illum ex aëre quodammodo pendere, ſale marino inquinato. Sed, quae tunc temporis erat probabilis, concluſionem experientia nunc vetat. Scilicet, illius diei opinio erat, oras maritimas tantum illum infeſtare, aliis in locis ignotum eſſe. Obſervatio autem hodierna, non ſolum apud littora oceani, ſed in locis ab his procul diſtantibus, illum graſſari, nos certiores fecit. Quod praediſpoſitio quaedam neceſſaria ſit, patet ex hoc; nempe, quia, qui hoc morbo ſemel vexati fuerunt, non tantum haud ſecure ab altero aggreſſu dormiunt; ſed quam alii magis prompte facileque corripiuntur: Adeo ut nonnullos ad tertiam vel quartam uſque vicem afficiat.

PROGNOSIS.

PROGNOSIS.

Hoc in morbo neceſſe eſt, ut caute tradatur prognoſis; quod hiſtoriam ejus perſpicienti facile patebit. Periculo nunquam caret. Namque, dum ſymptomata vexare ceſſant, affulgetque ſpes redeuntis ſalutis, morbus ſaepe iterum ingraveſcens miſerum e medio tollit. Ætatis valde tenerae plurimum ſemper, provectioris minus, periclitantur. Ex morbi duratione, quod ex dictis appareat neceſſe eſt, prognoſin haud inepte trahant medici. Si in primo ejus aggreſſu occurratur morbo, fauſtus eventus ſperandus: Sin autem non acceſſerit medicus diem ante tertium vel quartum, eventus pro certo in ancipite eſt, et nunquam non metuendus. Si reſpirationis difficultate, anxietate, inquietudineque plurimum turbatur aeger, periculum. Si his gelidi atque profuſi ſudores, frequens ſyncope,

cum

cum artuum frigore accedant, mortem inſtare judicemus. Attamen ubi urina libere reddita copioſeque, ſedimentum ponit largum atque turbidum, ubi tuſſis vomituſque ſpontaneus eſt, neque reſpiratio multum laborat, ſpes aliqua affulget: Et, ſi vox illa peculiaris, altius vociferante ſolummodo aut tuſſiente aegro, aures feriat, fauſta terminatio expectanda.

DE MORBI CURATIONE.

Conſilia medendi duo ſunt.

1. Spaſmum amovere.

2. Ne redeat praecavere.

Sanguinis detractionem omnes fere auctores laudant: Neque, ut videtur, immerito fuit commendata. Ex hoc, morbos inter vere phlogiſticos noſtrum rite adnumerari,

rari, nonnulli colligerunt. Quam recte, alii judicent. Attamen aliis certe modis, praeter inflammationem tollenda, effectus ſuos edit iſta exinanitio; aliter quoque, ni fallor, hic agit. Dictum eſt, ubi de cauſis differebatur remotis, morbum hunc plethoricos maxime invadere, et hanc ob rationem, ut creditur, nempe, quia ſanguinis abundantia corporis mobilitatem auget, dum haec rurſus ſpaſmis omnigenis favet. Diminuta igitur nimia ſanguinis copia, aut amoventur aut minuuntur ejus mali effectus. Nec ob hanc tantum, ſed aliam ob rationem item, ſuadetur ſanguinis detractio. Nimirum, ſuffocatio adeo premit nonnunquam, ut parum abſit quin ex toto ſtranguletur tenellus. Detracto autem ſanguine, ſenſus ille ſedatur, reſpiratioque minus laborat. Vix autem ex phlebotomia ullum, niſi ſymptomatum quies expectandum. Hoc ingenue fatetur Cl. Michaelis, pro viribus contendens morbum noſtrum ex inflammatione pendere. 'Effectum enim,' inquit

inquit ille, ‘ modo minuere venaeſectio-
‘ nem; irritamentum autem illud, quod
‘ morbum producit, minime tollere, nemo
‘ eſt qui non perſpiciat. Quod autem ſola
‘ venaeſectione, etſi palliativum tantum re-
‘ medium ſit, haud raro aegroti recuperent,
‘ ideo accidere puto, quia natura plerum-
‘ que mali cauſam diverſa per corporis
‘ emunctoria eliminet. Venaeſectionis i-
‘ gitur minus quam naturae beneficio
‘ aegri iſti ſanantur.’ Primo maxime in ſtadio ſanguis mittendus: Neque, niſi inflammationis ſigna ſuadeant, aut crebro aut libere detrahendus. Teſtibus enim Millario et Ruſh, ſanguis, ſi vel ingraveſcente morbo, vel ſaepe, vel ad magnam copiam detrahatur, detrimentum haud parvum affert. Venam jugularem ſecari hic nonnulli jubent. Iſtam autem operationem, a qua periculum non abeſt, ratio vetat: Praeſertim, ut idem, ne dicam, majus beneficium ex hirudinum vel cucurbitularum cruentarum applicatione, obtineri poteſt.

Fortaſſe

Fortaſſe autem illae haud male anteponuntur. Dicit, quem antea memoravi, chirgurgus, ſe ſanguinem per hirudines educendum ſaepeſaepius commendaſſe: Monet, ſi, ineunte morbo, hoc factum fuerit, eſſe utiliſſimum remedium, aliter parum commodi afferre.

Purgantia.—Alvus fere ſemper aſtricta, igiturque remediis laxantibus opus eſt, ut leniter ducatur. Quapropter purgantia lenia ac blanda propinanda, et quae ventriculo haud ingrata ſunt, ut manna, magneſia alb. &c.

Emetica.—Nonnulli emetica hic nunquam prodeſſe, ſed potius nocere, docent: Dum aliis opinio eſt eadem raro ſine fructu adhiberi. Probabilior quidem haec. Nam emetica, ut mucus magis libere facileque exſcreetur, et quibuſdam in exemplis, ut corpus illud peregrinum vel ex toto, vel per fruſtula ejiciatur, efficiunt; ſic quies conciliatur aegro, morbuſque aliquando tollitur. Emeticorum facile princeps eſt

tartarum

tartarum emeticum; aliisque, hic saltem, anteponendum, quippe quod excretionem per cutem promoveat, constrictionem, siqua fuerit ejusdem, solvat, et sanguinis ad partes externas liberiorem cursum efficiat, alvumque, raro non astrictam, solutam fere reddat. Hujusmodi autem vires, parvulis in dosibus assumptum, praecipue exserit. Vomitu igitur pleno praemisso, in quantitate ad nauseam excitandam valente, propinandum est. Hoc modo feliciter plerumque sudor, qui, late sese diffundens, corpus laxat, spasmumque aliquando solvit. Sic, alia quae sudorem eliminant medicamenta, sudorifica rite dicta, maximo cum auxilio sunt in usu. Haec usurpavit atque celebravit Cl. Molloy, et dicit, ea nunquam caruisse successu, modo libere profluueret sudor *.

Antispasmodica.—Varia sub hoc nomine comprehenduntur medicamenta; multa quidem incertae admodum virtutis, neque

* Vid. Rutty's Chronology, p. 112.

hic recenſenda. Quae vi ſedante maxime pollent, et in hoc morbo adhibita fuerunt, haec ſunt, moſchus, aſſa foetida, opium.

Moſchus.—Si purus omnino ac immiſtus obtineatur, ad ſpaſmos conſopiendos haud parum confert; talis autem vix datur. Et huic quamvis, ut quidem aliis ſpaſticis affectionibus, finem aliquando moſchus ponat, ſaepius tamen eſt remedium fallax atque inutile: Parum itaque huic fidendum *.

Aſſa Foetida.—Saepe cum eventu ſecundo, raro ſine ope, in uſum vocatur hoc medicamentum:

* In opuſculo, 'Medical tracts by the late Dr Wall 'of Worceſter' inſcripto, et quod filius ejus hoc ipſo anno publici juris fecit, moſchum magnopere laudatum video. Docet vir ille celeberrimus, ſe ſaepeſaepius, nec ſine maximo cum fructu, ad moſchum in motibus ſpaſmodicis confugiſſe. Dolet autem quod ſtatu puro raro reperitur, votiſque ſuis non ſemper reſpondiſſe candide fatetur.—Notatu dignum eſt, quod in doſibus, quas plurimi attoniti conſpicerent, hoc medicamentum dedit; nempe, aegrotis ſeptem circiter annos natis, gr. xii. adhiberi juſſit.

dicamentum: Et, Millario auctore, omnibus aliis antiſpaſmodicis anteponendum eſt. Attamen, ſi effectus ejus ſalutares obtinere velis, ut ſaepe nec parce adhibeatur neceſſe eſt. In doſibus tunc temporis ignotis, ſuadente Millario, devoratum erat, ut ex ſequentibus patet. 'An ounce of this gum, inquit ille, 'has ſometimes been taken in 'the ſpace of forty-eight hours, by a child 'of fifteen months, and almoſt as much 'at the ſame time by clyſters, allowance 'being made for the reſidue of the gum, 'which is loſt in the ſolution *.'

Hoc gummi formula quae ſequitur uſurpari jubet.

℞ Gum. aſſ. faetid. ʒii.
Spir. minder. ℥i.
Aq. puleg. ʒiii. f. ſ. s. a.

Multa etiam in laude ejus nuper conſcripſit Cl. Ruſh †: Quod, pulcherrimo cum

* Millar on aſthma, p. 46.

† Ruſh on nervous aſthma of children.

cum ſucceſſu, ſe ſaepius in eodem morbo adhibuiſſe monet.

Opium.—Nequeo non mirari quod de opii uſu auctores hic omnino ſileant. Laudes, quibus in morbis ſpaſmodicis jure effertur opium, nemo ignorat, et felices, ni fallor, effectus, ab eo hic exſpectare licet. Hanc ſententiam probabilem ſaltem reddit exemplum quod chirurgus ille celebris Aitken mecum nuper communicavit; in quo, ſcilicet, libere, nec ſine eventu ſecundo, opium erat adhibitum.

Hactenus de medicamentis interne adhibitis; progredimur nunc ad externa, quae per vim etiam ſedantem agunt.

Balneum calidum.—Thermis adhibitis, cutis laxatur, ſudor plerumque libere fluit, ſpaſmuſque non raro tollitur. De hujus remedii beneficio unum vel alterum exemplum in medium jam prolatum fuit. Ex eodem etiam effectus feliciſſimos obtinuit Cl. Ruſh. In primo fortaſſe ſtadio, melius ac majori cum fructu admoveantur thermae,

mae. In privatorum autem domiciliis vix praesto sunt; igiturque pediluvium fotusve tepidus ad partes ipsas affectas directus, qui in usum facilius vocantur, neque commodis suis careant, thermarum locum tenere potest.

Vapores vel aquae vel aeti tepidi, pulmones intra per inspirationem accepti, commodo haud parvo aegrum afficiunt.

Epispastica.—An epispastica hic suadenda, mecum multum dubito. Ad spasmum amovendum saepe certe conducunt. Attamen adeo tenera aetate ingrata sunt remedia, magnumque secum afferunt incommodum: Neque ullum beneficium pollicentur, quod ex remediis minus ingratis, antehac recensitis, non exspectandum sit.

Haec de spasmo amovendo. Dicere adhuc restat, quomodo ne redeat praeveniendum.

Ut morbum nostrum ex mobilitate quodammodo pendere creditur, ita, ut reditus ejus praecaveatur, tonus systematis augendus.

dus. Tonum praebent remedia illa tonica dicta; quibus omnibus facile praeripit palmam cortex Peruvianus. Fibras laxatas totumque corpus debilitatum roborat, et aliis ab paroxyſmis incolume reddit. In pertuſſi, optimo cum fructu, Culleno ipſo auctore, cortex Peruvianus adhibetur. Namque, in praelectionibus ſuis, dicit, 'I have 'uſed the bark with great ſucceſs in this 'diſeaſe; and, indeed, it is the only reme-'dy which I have found efficacious in 'putting an end to the fits.' Quos vir ille celeberrimus, in pertuſſi, ex cortice obtinuit effectus, hic etiam, ut videtur, expectare licet. Si igitur neque febris, neque dyſpnoea graviſſima vetat, cortex Peruvianus adhibendus. Nec ab uſu ejus nos diſſuadeat objectio quam nonnulli adducunt; nempe, illum omnino ingratum eſſe infantibus: Lacte enim ebutyrato, vel extracto glycyrrhizae commiſtum, corticem facile devorant.

Balneum frigidum, et alia quoque ad tonum conciliandum, commendantur remedia;

dia; horum tamen, propter opuſculi brevitatem, mentionem facere non licet. Placet tantum, priuſquam ad finem hanc diſſertationem perducam, de operatione hoc in morbo nuper propoſita, pauca dicere.

Si perſtaret paroxyſmus, praeſertim ſi ſuffocatio aegroti capiti immineret, tracheae infligere vulnus, unde membrana toties memorata extrahi poſſet, quidam permultum ſuaſerunt. Operatio vere difficilis, nec ſine periculo, quae Bronchotomia audit. De periculo autem talis inciſionis ne dicam, quis eſt, qui, utrum adſit necne hoc corpus, pro certo habere poteſt? Si non, vulnus, nulla praeter naturam in trachea exiſtente membrana, infligi poteſt. Tale exemplum nobis ſuppeditavit Cl. Ruſh. Alterum hujuſmodi exemplum mihi nuper memoravit chirurgus ingenioſus Aitken. Dixit enim, ſuadente medico, ſe tracheam tenelli inciſſe, neque ulla membranae veſtigia detexiſiſſe. Bronchotomia igitur vix ſuadenda.

FINIS.

MUSEUM

Virò optimo,

JOANNI HOPE, M. D.

Medicinae Reique Botanicae,

in hac Academia,

Profeſſori optime merito;

Item,

JOSEPHO METFORD,

Patri ſuo,

et

Tyrocinii in Re Medica Praeceptori,

Primum hunc laborem medicum

D. D. C. Q.

AUCTOR.